



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Rhemense, Qvo Per Leonem Sedis Apostolicae legatum  
Arnulphus Gerberto deposito Rhemensi ecclesiae restituitur, anno Domini  
DCCCCXCV. tempore Ioannis papae XV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

ANNO CHRISTI 995  
 vt a diuino officio vsque ad denuntiatam Synodum abstineat. Hæc ex Papirio, qui sedis Rhemensis inuafori Gerberto immerito fuit, Baronius anno 995.

Non caret fraude, quod nouatores ediderint omnia illa quæ Gerbertus pro se dixit vel scripsit: quæ autem contra ipsum in hac Synodo Leo apostolicæ sedis legatus copiosissime disputauit, quæque inter acta Rhemensium episcoporum fuisse recondita Aimoinus verbis infra recitandis testatur, nequaquam ediderint.

Nouatores imposturæ infimulantur.

**CONCILIVM RHEMENSE,**  
 QVO PER LEONEM SEDIS APOSTOLICÆ  
 legatum Arnulphus Gerberto deposito Rhemensis ecclesie restituitur, anno Domini DCCCCXCV. tempore  
 Ioannis papæ XV.

NOTA.

<sup>a</sup> Concilium. ] Hæc est illa vera & legitima Synodus Rhemensis, qua acta præcedentis Pseudosynodi auctoritate apostolica improbantur & plane annullantur. Quid in ea gestum fuerit, in appendice Aimoini narratur his verbis: *Nuntiantur hac omnia* (de quibus supra præcedenti Conciliabulo Rhemensis) *præsuli Romano, qui valde indignatus super hoc facto interdixit sacris omnibus episcopis qui Arnulphum deiecerant & Gerbertum ordinauerant. Misit quoque Leonem abbatem a sede apostolica ad dominum Seguinum archiepiscopum vrbis Senonicæ, qui vice sua in vrbe Rhemensis Synodum congregaret, mandans illi vt sine dilatione reuocaret de carcere Arnulphum, & degradaret Gerbertum. Collecto igitur Concilio iterum in vrbe Rhemensis, ex iussione apostolica reuocatus est Arnulphus de custodia, & cum honore magno receptus in propria sede. Gerbertus autem intelligens quod iniuste pontificalem suscepisset dignitatem, pœnitentia ductus est. Altercationem vero Gerberti pontificis & Leonis abbatis valde vtilem plenius inuenies in gestis pontificum Rhemorum.* Hæc de actis huius Synodi Aimoini appendix. Libellus Gerberti refert quod in hac Synodo episcopi illi, qui Arnulphum sede sua eiecerant, dixerint in totius regni discrimine nihil melius & vtilius fieri potuisse, quam vt tyranno excluso pastor aliquis populo & regno vtilis constitueretur. Cumque a Leone arguerentur, quod illud sine sedis apostolicæ auctoritate fecissent, respondebant binas hac de re legationes Romam missas, non fuisse auditas ideo, quia Crescentium palatii custodem nullo munere corrupissent, nihilque (quod falsum esse constat ex verbis Aimoini supra in Pseudosynodo Rhemensis recitatis) sine consensu & auctoritate Seguini Senonensis archiepiscopi sedisque apostolicæ legati peregisse. Plura hac de re Baronius anno 992. & 995. &c.

Acta Synodi Rhemensis legitimæ quæ?

Quid in Synodo Gerberti fautores dixerint.